



## The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **PRINCIPI MILITIAE** \* TITULUS ET PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS  
PAROECIALI ECCLESIAE S. MICHAËLIS ARCHANGELI IN OPPIDO «ALTENSTADT», INTRA FINES  
DIOECESIS AUGUSTANA VINDELICORUM, TRIBUUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Principi militiae caelstis  
S. Michaëli sacra, in oppido «Altenstadt» exstat aedes, quae recte ac merito pro sua antiquitate et pulchritudine et rerum  
religiosarum memoria in universa dioecesi Augustana Vindelicorum celebratur. Eadem, saeculis XII et XIII ad Romanici  
generis rationes aedificata, saxis ipsis columnisque solidis illius constantiam atque firmitatem fidei videtur ostendere,  
cuius innumera testimonia in tot annorum serie pie peregrinantes plebes christianaee edidere. Tale enim religionis  
domicilium, tempora si excipias impiae vexationis, ideo singulari semper studio petierunt, ut miranda opera ibidem  
asservata non solum intuerentur, sed debito etiam honore venerarentur: magnum in primis signum Domini Iesu cruci  
affixi, quod, saeculo XIII ex ligno artificiose exsculptum, humanae Redemptionis opus, Deo quasi a ligno regnante,  
repraesentat; factamque item Beatae Mariae Virginis una cum Filio imaginem, in qua bonitas ipsa amantissimae hominum  
Matris spirare videtur. Nec est reticendus pro sua venustate fons salutaris lavacri, quippe in quo singuli tanti Sacramenti  
ritus expressi recenseantur. Siquidem hoc unum est illo in oppido templum, quod, ut sedes paroeciae, religiosam fidelium  
vitam uberioris alit ac fovet, amplaque supellectile instructum et nuper valde refectum, renovato liturgiae sacrae decori  
cumulatius satisfacere potest. Hisce ergo causis impulsus votumque curionis atque curialium benevole interpretatus,  
Venerabilis Frater Iosephus Stimpfle, Episcopus Augustanus Vindelicorum, suas dedit litteras ad Nos, ut Basilicae  
Minoris titulum insigni eidem templo impetraret. Quapropter, precibus huiusmodi libenter admissis, Nos e Sacrae Rituum  
Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum  
Litterarum vi perpetuumque in modum, ecclesiam paroeciale, S. Michaëli Archangelo in oppido «Altenstadt», intra fines  
dioecesis Augustanae Vindelicorum, consecratam, ad titulum atque dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus  
adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae templis, eodem nomine insignibus, rite competunt. Contrariis quibusvis nihil  
obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter extare ac  
permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt,  
nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri,  
si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. *Datum Romae,*  
*apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Octobris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri*  
*tertio.* HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae*

*negotiis*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 281-282 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana